


Barthold Krakewitz von

## **De Praeopostera rituum Ecclesiasticorum, & Exorcismi in specie, Abrogatione, Dissertatio Theologica**


[Greifswald]: Ferberus, 1616

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn807109118>

Druck Freier  Zugang









Ep. 368 p

AD

b. A - H.

b. A - L.

- A - E'

A - D.

A - D.

A - L.

57 b. 7.

Fig - 11871 - 7.








827



DE  
Præpoſterâ rituum  
ECCLESIASTICORUM,  
&  
EXORCISMI  
*in ſpecie,*  
ABROGATIONE,

Differtatio Theologica,  
*Gryphismaldia in renunciatione Doctoris Theologiae*  
*4. Septembris inſtituta,*

à  
BARTHOLDO KRA,  
KEVITZ, SS. THEOLOGIAE DO-  
ctore & Profefſore ordinario, ceteriorifq; Po-  
'meraniae Superintendente generali.



ANNO M. DC. XVI.  
Sumptibus & Typis Auguſtini Ferberi, Jun.







ILLUSTRISSIMO ET CEL-  
SISSIMO PRINCIPI AC DO-  
MINO,

DOMINO  
ADOLPHO  
FRIDERICO,

Duci Megapolensi, Principi vetustæ gentis He-  
netæ, Comiti Suerinensi, Domino Ro-  
stochij & Stargardiæ, Domino suo  
clementissimo

S. P. D.

**I**llustrissime & Celsissime Princeps, Domine  
Clementissime, familiare est Spiritui Calvini-  
stico, ἀπογεγοτιστικῆς eos promiscuè accusare, qui  
de doctrinâ aut factis Ecclesiarum, alibi sitarum,  
ex præscripto oraculorum Divinorum iudicium  
facere, & de technis ac conatibus Sacramenta-  
riorum exteras quandoq; Ecclesias fideliter præ-  
monere solent.

Jezlerus quidam Scaphusianus, causas di-

turnita-



In libro  
de diu-  
turnitate  
belli Eu-  
charistici  
causa 9.  
fol. 101.

Vide  
Christli-  
ches ges-  
prech  
vom po-  
litischen  
Zoff Cal-  
vinisten  
Hutteri  
fol. 23.

turmitatis belli Eucharistici, non sine ἐλέγχω causa,  
alicubi exponens, docentium ἀπογοησιωτικῶν, seu α-  
lienarum Ecclesiarum non necessariam inspectio-  
nem, continuationis tanti in Ecclesia dissidij cau-  
sam non postremam esse scribit, hujusq; vitij, lon-  
gè fœdisimi, nomine Doctores Lutheranos πολυ-  
πράγμονες, φιλάρεχτες, φιλοτίμους, κενοδοξούς, φιλοπρωτόδοντες, pro  
sua, in sugillandis fidei nostræ affectis, virulentia,  
calumniosè nominat.

In Marchia regionibus hisce contermina, quan-  
do ea hodiè fidi aliarum Ecclesiarum Ephori tentari  
animadvertunt, quæ Ecclesiæ non possunt non ma-  
ximè esse nociva, horumq; causa lupum Calvini-  
sticum, ovile Christi impetentem, animosè inclamant.  
πολυπράγμονες itidem audire, & calumniam satis atro-  
cem, quod falcem in alienam messem mittant, quodq;  
τὰ ἴδια negligent, sustinere coguntur.

Eandem me à lupis & ursis Calvinisticis,  
ob hanc, de rituum Ecclesiasticorum præpostera re-  
formatione, ἀδελφίαν, gratiam reportaturum, animus  
quodammodo presagit; quem ut adversus cuius vis  
ἀδελφία obtrectationem rectius obfirmem, & quid  
de isthoc orthodoxorum Ecclesiæ Doctorum in vici-  
nos cætus affectu, & ἐπεροδόξων iniquiori reprehensione,

non ego



non ego tantum, sed omnes Christi fideles sentiant, tribus solummodo verbis exponam.

Principiò, cum toto terrarum orbe dispersa Ecclesia, ob fidei, quam proficetur, unitatem, una sit, auditu profectò mirum est, affectum, conatus & studia Doctorum Ecclesie sic distrabi, quasi (communis capituli, fundamenti & confessionis ratione) non uni eisdemq;: sed alia atq; alia impendantur Ecclesie; à qua τμήσει, nimis violentà, tantoperè bonos quosq; abesse certissimè statuo, ut ad voces istas Sacramentari-

orum Schismaticas eosdem cum B. Hieronymo: Nequaquam altera urbis, altera totius orbis est Ecclesia: Et Gallie & Britannie (ET MEGAPOLIS ET MARCHIA) & Africa & Persis & Oriens & India, omnesq; barbaræ nationes (isto scl. tempore) unum adorant Christum, unam observant regulam veritatis &c. exclamaturos esse, persuasissimum habeã. Vni ergò eidemq; Ecclesie quia veri civitatis Dei ministri ἱερέων ἐπεδιδασκαλίας inserviunt, quo jure, qua ve injuriã, istam officij sui partem exequendo, ἱερο-τεροεπισκοποι nominari, aut πολυ-αγμοσύνης incusari possunt?

Præterea, cum alijs fidei Christianæ articulis, is etiam suum, suo merito, locum obtinet, qui SANCTORUM COMMUNIONEM firmiter tenendam proponit. Hic felicitatem, & tribulati-

Tom. 2.  
ad Eua-  
grium.



In primo  
Sermonē  
Bernæ  
habito,  
tomo 2.  
operum  
Zwinglij.

ones universæ Ecclesiæ militanti, & gloriam futuram triumphanti communem fore, inter alia subinmit. Et sic ubi aliquod universalis Ecclesiæ membrum patiatur, aliquam ejus doloris partem in reliqua etiam membra redundare, eaq; de remedio partis affectæ, in corpore Christi mystico, sollicita esse debere, perspicuè docet. Hunc articulum utrum ij etiam verè credant, quibus ministrorum Ecclesiæ particularis sollicitudines, pro vicinis alijs, exosa tantopere sunt, tantò verius ambigimus, quantò certius est, Patriarcham Sacramentariorum, Zwinglium, istam Symboli Apostolici de Sanctorum communionē, partem, dubiam & suspectam reddere conatum, & quod pia vetustati ignota fuerit, jam olim vociferatum fuisse.

Dehinc, ipsos quoq; Apostolos, Apostolorumq; successores, & primitivæ Ecclesiæ Doctores, extra eas, quibus peculiariter præfuerunt, Ecclesias aliorum quoq; cœtuum curam gessisse, eorundemq; & damnum sedulò avertisse, & salutem pro virili promovisse, notius est, quam ut laboriosâ probatione opus habeat. Vbi non est, quod de prioribus vocatiōnem œcumenicam Jezlerus nobis objiciat, cum & suam, in partibus officij exequendis, industriam toties nobis commendent, & aliarum quoq; particularium

Ecclesiæ-



Ecclesiarum opem sapius implorasse legantur.

Deniq<sup>3</sup>, cum ipsi etiam Sacramentarij intra suorum congressuum limites sese haudquaquam contineant: Sed hinc inde aulas Magnatum perreptent, & fidei ac ceremoniarum nostrarum plusquam Magistralem censuram sibi sapissimè sumant, quis furor est, nobis id vitio vertere, quod toto ipsi die peragunt, & sine quo si esset, virus Sacramentarij dogmatis non ita latè serperet?

Has, indice saltem digito, monstratas rationes, temeritatis notam à pagellis hisce meis dextrè & validè satis avertere, uti mihi persuasissimum est, ita in iisdem placidè omnino in timore Domini acquiesco, & Deo conatum meorum eventum humiliter commendo.

Tua verò Illustrissima Celsitudini, Princeps ac Domine Clementissime, ut dissertationem hanc qualemcunq<sup>3</sup> submisè & reverenter offerrem, fecit verè Illustris, & multorum Christi fidelium linguis egregiè collaudata C. T. pietas, quæ inter alia complura eaq<sup>3</sup> evidentissima documenta, hinc etiam Ecclesia Christi verissimè probatur, quod cum exteris quoq<sup>3</sup> regiones & regna C. T. viderit, multorumq<sup>3</sup> hominum mores (ut de Ulyssè suo Homerus alicubi habet) magno patria emolumento passim per vestiga-

rit: non



rit: non tamen exteros continuo ritus ac consuetudines, ingenti multarum piarum animarum scandalo, & suspecto cum Sacramentiperdis Syncretismo, Ecclesijs Patrijs obrudendas confestim censuit: sed in laudabili fidei ac ceremoniarum conformitate, cum vicinis alijs coetibus, easdem conservare haecenus & tutari clementer voluit. Hanc Illustrissima C. T. pietatem, cum insigni & tanto Principe digna prudentia conjunctam, ego quoq; minimus inter servos Christi, meo loco humiliter agnosco, & sine omni adulationis palpo (à quo alienissimum me esse injnorunt, qui studia & mores meos perspectos habent) verè & submissè, hac qualicunq; *προς φωνήν*, de-  
pradico.

Christus Jesus C. T. diu florentem servet, & Spiritu Sapientia atq; consilij ita gubernet, ut longo tempore sub ejusdem patrocinio ac tutela Ecclesia gaudere, & supremi illius Domini gloria longè lateq; propagari possit, cujus prepotenti protectioni C. T. cum humiliter servitiorum & precum mearum oblatione, devotè commendo. Dabantur Gryphiswaldia  
VI. Id. VIIbris Anno MDCCXVI.

I. C. T.


Subjeetissimus

Bartholdus Krakevitz D.



I. N. D. N. I. C. A.

ORATIO.



Tſi dubium non eſt, viri  
*Magnifici, Reverendi, No-*  
*biles, Clariſſimi, Conſultiſſi-*  
*mi, Excellentiſſimi, humaniſ-*  
*ſimi, tuꝝq; ſtudioſorum & ci-*  
*vium literatorum concio or-*  
*natiſſima;* Eſſi, inquam, du-  
bium non eſt, in amplo a-

deo diverſiſſimorum ingeniorum confluxu, inter illos etiam, qui præ alijs ſapere videri volunt, non paucos reperiri, qui congreſſus hoſce noſtros Academicos, ſolennes eorum renunciationes, quibus publicæ dignitates conferuntur, & doctrinæ ac profeſſionis ſonora tribuuntur teſtimonia, exhibētes, ludos pueriles, ſcenicos ac theatricos reputant: Hoſ toto tamen, quod dicitur, cœlo errare, & non nos ſolum, ſed venerandam unâ antiquitatem, à quâ graviſſimis de cauſis hæc Academiarū ornamenta introducta, & ad ſeram poſteritatem tranſmiſſa ſunt, in ſigniſinjuria afficere, res ipſa, ſine præjudicio penitius introſpecta, clamitat. Ut enim nunc mittamus, quantâ ſolennitate & quam

B

auguſtis



Exod. 28.

augustis ceremonijs publicā Sacerdotum ac Doctorū Ecclesiæ inaugurationē in Veteri Testamento, ex præscripto Dei, peractam esse, ille omnium Prophetarum *μοϋσης* *Moyſes* narrat: illud certè solennibus hujusmodi honorificorum titulorum, dignitatumq; collationibus peragi, ut boni & probati à malis discriminentur, virtuti, & laboribus in studijs exantlatis debita præmia exsoluantur, stadium doctrinæ cœlestis decurrentibus calcar addatur, & quod primum omnium est, Deo, gratam sui famam, in Ecclesijs & Scholis, per cœlestis doctrinæ, artium ac linguarum vocem spargentem, gratiæ solennes agantur, nullâ, vel in speciem saltem verâ, aut probabili, ratione negari potest. Atq; hinc adeo, ne oculis tantum spectaculo & & pompâ externâ gratum quoddam obijciatur pabulum: sed ut mentes unâ ad variorum beneficiorum Dei considerationem excitari convenientius possint, congressus hosce publicos mutos, & actionibus Mimorum similes esse prudens Antiquitas haudquaquam voluit: sed commonefactiones de rebus pijs, utilibus, & Ecclesiæ ædificationi inservientibus in iisdem institui debere, laudabiliter constituit.

Quandoquidem ergò, post tredecim anno-

rum de-



rum decursum, fausta hujusmodi dies Facultati nostræ Theologicæ iterum illuxit, quâ titulum atq; insignia Doctoris Theologiæ, viro, eruditione, vitæq; integritate excellenter conspicuo, collaturi publicè sumus, de more orationem quandam, coronæ huic splendidissimæ non omninò, ut speramus, ingratam, præmittendam duximus; quâ quidem in re, dum materiæ delectus occupatos nos habuit, illud nobis, quod hortos cultissimos salutantibus evenire solet (ut varietate florum turbati, quos præ alijs decerpant, dubij nonnunquam hæreant) accidisse, & quodnam dissertationi huic argumentum, ex immenso illo rerum Theologicarum campo, peteremus, sollicitè dispexisse, modestè fatemur. Reliquis vero omnibus ac singulis ad aliud tempus & locum convenientiorem studiosè rejectis, infausti isti, multisq; retrò annis excitati, & in hodiernum usq; diem continuati tumultus, quos in ritibus ac ceremonijs Ecclesiasticis, ipsoq; in specie *Exorcismo*, satis pro imperio, atq; utinam non cum libertatis Ecclesiasticæ violatione, & blasphemiarum Calvinisticarum introductione, eliminando, Satanas subinde renovavit, occurrerunt, quos etsi conatibus hisce nostris compescere, aut callida *μυστρα*



consilia omnino infringere nos posse, in animum  
nunquam induximus : libertatis tamen Ecclesia-  
sticæ, profusione sanguinis Christi acquisitæ, vin-  
dicias, ob Ecclesiarum nostrarum cum vicinis alijs  
conjunctionem , & communis inde dependentis  
contagij aversionem, hoc ipso cum Deo suscipere,  
ea nos fides ac religio, quâ Deo, quâ Ecclesiæ,  
quâ deniq; Magistratui obstricti sanctissimè sumus,  
unicè compulit.

Id dum agimus, & Scapham interea Scapham,  
lignonem, ligonem, rei necessitate ita exigente, <sup>σωπλιπτως</sup> nominaturi nonnunquam sumus, nos  
neq; odio personali, neq; corruptis in quenquam  
hominum affectibus, multò vero minus in cujus-  
quam Magnatis despectum quicquam unquam  
hic agere, uti coram Christo Jesu, vivorum ac  
mortuorum iudice, & coram Ecclesia, Sponsa  
Christi dilectissima, sanctissimè ac solenniter ante  
omnia protestamur; ita vestram, Auditores omni-  
um ordinum lectissimi, attentionem atq; æquani-  
mitatem nostræ in dicendo inopiæ subvenire, ani-  
mitus optamus.

Ut itaq; , quam præpostera multoties Exor-  
cismi abrogatio instituta fuerit, demonstrare  
commodius possimus, & quid τὰ ἐξορκισμῶν voce hoc

loco



loco veniat, & quam ritus istius ex Ecclesiæ finibus proscriptionem incusemus, paucis ante omnia delibandum erit, quo præmissis, in nullâ classe causarum, è quibus Christianarum actionum bonitas comprobari potest & debet, multorum Magnatum facta subsistere posse: sed inter ea, quæ virgulâ Spiritus Sancti censoriâ notata jamdudum sunt; quæ facti, non verò juris Christiani sunt; quæ Ecclesiam Christi perturbant; quæ deniq; libertati Ecclesiasticæ Novi Testamenti, deposito totius Ecclesiæ prætiosissimo, magnopere præjudicant, jure meritoq; referenda esse, luce meridianâ clarius apparebit.

Exorcismi proinde nomine non denotamus hoc loco actiones istas primitivæ Ecclesiæ miraculosas, quibus, dono miraculorum adhuc vigente, homines corporaliter obsessos liberare, & Satanam sede suâ, tyrannicè occupatâ, pellere, Apostoli alijsq; eorundem successores ad tempus consueverunt. Sicuti enim donum hoc exolevisse scimus, eumq; *qui hodiernum prodigia hujusmodi inquit, ut credat, magnum adhuc prodigium esse,* cum *Beato Augustino* libenter fatemur: Ita hunc Satanam exorcisandi morem Pontificijs, singulari Exorcistarum ordine claris, in solidum relinqui-

lib. 22.  
cap. 8. de  
civitate  
Dei,



mus, cumq; eodem Ecclesijs Lutheranis commer-  
cii nihil esse, propalam testamur.

Sed, nec hic quoq; Exorcismi, in Ecclesijs no-  
stris liberè hactenus retenti, usus est, ut Satanam,  
verborum istorum compellatione, vel ad bonum  
aliquod amplectendum, vel ad veritatem dicendā  
adjuremus; quo quidem sensu *Caiphā*, pseudo-  
pontificem Jerosolymitanū, Salvatorem nostrum  
rigidius examinantem, voce hac usum fuisse non i-  
gnoramus. Nemo enim sanus illum ad verita-  
tem dicendam juramento astringet, *qui pater*  
*mendacij est*, aut ab eo boni quid, vel juramento  
etiam interposito, expectabit, *qui, juxta Cypria-*  
*num, mentitur ut fallat, blanditur ut noceat, bona*  
*promittit, ut mala tribuat, vitam pollicetur, ut peri-*  
*mat*, quiq; ex illòrum censu & numero est, de qui-  
bus *Nazianzenus* verè pronunciat, quod sint:

*ψευσαί θ' ἰβρισταί τε, διδάσκαλοι ἀμπλακιάων,*  
*χρησμολογοί, λόξοι, φιλοδήροε, αἰμπατόεντες.*

His Exorcismi significatis, quibus maledica Sacra-  
mentariorum lingua Ecclesias nostras præter rem  
& veritatem onerare, easq; in odium apud impe-  
ritiores adducere solet, à præsentis disceptationis  
limine longissimè sequestratis, nostri illius, pro  
quo in gratiam libertatis Ecclesiasticæ nunc di-

gladia-

Matt. 26.  
v. 63.

Joh. 8. v.  
44.

lib. 1.  
Epist. 8.

in He-  
xaimero



gladiamur, Exorcismi in baptismo recitationem, ritum ἀδίαφορον, humanā auctoritate, bono consilio in Ecclesiam introductum nominamus, & liberam observationem (ut de rebus Ecclesiæ indifferentibus Augustinus loquitur) habere fateamur; cumq; hæc ceremonia, neq; contra fidem sit, neq; contra bonos mores, & multum ad exhortationem vitæ melioris habeat, ubicunq; eam institutam cognoscimus, non solum non improbare, sed etiam laudando & imitando sectari, si proximi infirmitas id non impedit (juxta ejusdem Augustini consilium) merito studemus.

Antiquitatem ritus istius quod attinet, ad Patrum Sacramentarij originem ejusdem referre, hocq; pretextu, ut alia multa, ita Exorcismum etiam ζήλω ἀζήλω invadere, & Ecclesias pacatas turbare consueverunt. Id verò dum scribunt, dicuntq;, suam in historia Ecclesiastica ἀνισογενείαν, in scriptis Orthodoxæ Antiquitatis culpabilem ignorantiam (quantumvis belluones Patrum audire atq; videri soli velint) miserè produnt.

Cyprianus certè, baptismi efficaciam solenniter deprædicans, Exorcismi, baptismo præmissi, expressè meminit, & per Exorcismum, voce humanā, & potestate divinā, Spiritus immundos (Spi-

Epistola  
118. ad  
Januari-  
um.

verba  
Augusti-  
ni Episto-  
la 119.

lib. 4.  
Epistola  
7.

rituali-



ritualiter intellige) *flagellari actorqueri scribit.*

*Augustinus* sexcenties ferè, Exorcismi, suo jam tempore in actu Baptismi usitati, meminit, èq; ritus istius scopo ac fine peccati originalis fœditatē contra *Pelagiā* & complices masculè demonstrat, quā in re confirmandā, ne, formalia ipsa recitātes, justo simus prolixiores, ad varia Numinis & Luminis istius Africani scripta, cum primis verò caput tricesimum quartum libri primi *de peccatorum meritis & remissione*; caput decimum octavum libri primi *de nuptijs & concupiscentia*, caput vicesimum libri primi *de nuptijs*; epistolam centesimam quintam ad *Sixtum Presbyterum*; caput vicesimum secundum libri decimi *de Civitate Dei*, aliosq; consimiles locos, benevolos auditores remittimus.

Tom. 4.  
lib. 1. de  
Sacra-  
mentis  
cap. 5.

1. lib. de  
præscri-  
ption.  
cap. 41.

*Ambrosius Episcopus Mediolanensis*, ipso *Augustino* adhuc antiquior, sua quoq; ætate Exorcismum baptismo præmissum esse his verbis indicat: *Vbi, inquit, primum ingreditur Sacerdos, Exorcismum facit, secundo super creaturam aque invocationem, postea & precem defert, ut sanctificetur fons, & adsit præsentia Trinitatis æternæ.* Eadem apud *Tertullianum, Optatum Milevitanum, Grego-*

gicis



*rium Nazianzenum*, aliosq; probatoris notæ patres frequenter occurrunt.

lib. 4.  
contra  
Donatist.  
In O-  
rat. de  
Sancto  
Baptis-  
mo. &c.

Quis verò adeo demens, & in rebus Theologicis hospes est, qui Patribus hisce Papatum acceptum referat? Quis *Tertulliani*, *Cypriani*, *Ambrosij*, *Augustini*, aliorumq; præfatorum tempore regnum Antichristi floruisse, & studio, operâ, atq; consensu tantorum Doctorum fultum fuisse, per historiæ Ecclesiasticæ, diversum attestantis, veritatem, sibi persuaderi patietur?

lib. 1. di-  
sp. ad-  
versus  
gentes.

Cæterum, cum, juxta *Arnobium*, *Antiquitas nonnunquam plenissima errorum mater sit*, non tantum originis, ritus istius, vetustatem: sed utilitates unâ varias, quæ partim ceremoniæ isti introducendæ, partim etiam hucusq; conservandæ ansam dedisse videntur, non nihil adhuc attingere, operæ fuerit pretium. *Quia enim, Apostolo ita monente, omnia in Ecclesia ad adificationem fieri debent*, non est, quod, varijs Exorcismi usibus observatis, venerandum Patrum chororum temerè hic quicquam aut *arctatus* egisse, quis statuatur.

1. Corin.  
14. v. 20.

Initiò namq; ista Exorcismi recitatio, de misera miserrimorum infantum, ex prima nativitate conditione Ecclesiam admonet, quantaq; sit Satanæ in homines, per peccatum deperditos, vis

C

atq; po-



Luc. 11. V

21.

Colof. 1.

V. 13.

1. Cor-

15. V 5.

Eph. 2. V

3.

2. Tim.

2. V 26

atq; potestas, perspicuè ostendit. Tametsi enim corporaliter, nondum regeneratos, <sup>ἀνεθεωρημένους</sup> iste, Deo vires & voluntatem illius potenter inhibente, promiscuè non possidet: Spiritualiter tamen corda eorum sic invasit, ut in *habitationem* & *domicilium* ea sibi præparasse dicatur. Hinc est, quod homines extra gratiæ, per Christum partæ, communicationem, *sub potestate tenebrarum; regno cælorum extorres; iræ filios; laqueis Diaboli, ad voluntatem ipsius, captivatos*, scriptura passim nominat; quæ omnia, ut & ejus generis complura alia, Spiritualiter, istum generis humani hostem, in infantibus, alijsq;, civium Christi consortio per baptismum nondum ascriptis, aut etiam baptismi fœdus impiè rumpentibus, longè latèq; dominari, sufficienter demonstrant. De hac contagij originalis fœditate, quoties ritus iste, qui baptismum nostro præmittitur, testimonium dicit, à *Pelagianorum, Zwinglianorum, & Photinianorum* modernorum, peccatum originis aut omninò negantium, aut nimis etiam extenuantium, venenatis erroribus, Ecclesias nostras longissimè adhuc per Dei gratiam abesse, liquidò demonstrat.

Præterea, ut subsequens baptismi actio (carnis alioqui & sanguinis judicio satis abjecta atq; ridi-

cula)



cula) è dignitate, majestate, & fructu suo multipli-  
 ci ab ijs, qui actui baptismatis intersunt, rectius ex-  
 stimetur, & circumstantium animi ad debitam de-  
 votionem magis magisq; excitentur, non incom-  
 modè rursus verba isti Exorcismi auctoritativa o-  
 perii baptismatis præmitti, nemo non animadver-  
 tit. Hæc enim portas inferorum à Christo Jesu  
 expugnatas; hæc captivitatem captivam ductam;  
 hæc mortem, mortis Christi beneficio, in victoria  
 absorptam; hæc destructum eum, qui mortis habe-  
 bat imperium, hoc est, Diabolum, satis animosè sub-  
 innuunt, omniaq; ista, per Christum acquisita bo-  
 na, è sacri baptismatis fonte, in teneros infantes,  
 jam jam baptizandos, derivanda esse ostendunt.  
 Id dum rursus ceremonia hæc præstat, neq; Ana-  
 baptistarum de pædobaptismo risus Sardonios,  
 neq; Calvinistarum, de vi atq; efficacia salutiferæ  
 istius actionis, nimis abjectas voces Ecclesijs no-  
 stris probari, testatur.

Accedit, quod isto Exorcismi ritu ἀπορονδον πέλεμον  
 inter Christi Ecclesiam & Satanæ colluviem, in-  
 dies adhuc continuari, & Spiritum Sanctum, tan-  
 quam *dextra Dei digitum*, per sanctissimi Ministe-  
 rij labores, Spiritui immundo perpetuò adhuc in-  
 trepidè & viriliter resistere, eundemq; Spiritua-

Osee 13.  
 14.  
 1. Cor.  
 15. 54.  
 Heb. 2. 14.

Vide Be-  
 zam in  
 præfat.  
 respons.  
 ad acta  
 colloquij  
 Mom-  
 pelgart.



Eph. 6.  $\Psi$

11.

Eph. 4.  $\Psi$

27.

Jac. 4.  $\Psi$

7.

1. Cor.

16.  $\Psi$  13.

liter expellere, testatum facimus; quâ in pugna dum Sanctissimū Individuæ Trinitatis nomen interponimus, ducem ac signiferum hujus *αι ησπαταια*, Satanæ & Ministerij Ecclesiastici, nostra ex parte designamus; dum hostem imperiosè aggredimur, ijs scripturæ dictis morem gerimus, quibus adversus insultus Diaboli, non galeatorum leporum instar retrocedere, sed stare; Diabolo resistere; locum eidem non concedere; viriliter agere; & *σερσοι τη αισηαι αντισηαι* expressè jubemur. Atq; eo ipso Schœncfeldianorum & Calvinistarum, de ministerij Ecclesiastici efficaciam, prodigiosa dogmata ritus hic noster rursus aperte improbat, nostrisq; Ecclesijs utilem operam navat. Has ceremoniam hujus Ecclesiasticæ utilitates, qui non æstimat, suspicit, veneratur, nã, is se aut erroribus præfatis æquiores esse, aut de rebus fidei ac religionis, in Ecclesia controversis, minus rectè judicare posse, indicium manifestissimum præbet!

Primum hoc erat, auditores, *ειλεγχο* nostro, de illegitimâ Exorcismi ejectione, præmittendum. Restat, ut, quænam facti species, in ritu hoc antiquissimo, utilissimoq; eliminando Ecclesiæ tantopere improbetur, paucis adhuc aperiamus. Id dum sine circuitione facturi sumus, tanquam *αναμ-*

Φησβήτητον



Φυσίτη τοι omnino, ex ijs, quæ modo dicta sunt, præ-  
supponimus: Omnes ac singulos ritus humanos,  
quos liberè Ecclesia tolerat, liberè etiam, sicubi  
id evidens quædam deposcat ratio, abrogari pos-  
se: ita tamen, ut' decenter & ordine id fiat, ni-  
hilq; quod Ecclesiæ ædificationem remorari pos-  
sit, humana Authoritas licentius agere præsumat.

Proseripserunt ex Ecclesiæ suæ finibus hæc con-  
ditione Exorcismum jam olim *Sævi, Württen-  
bergici, Haßi*, alijq; quibus dicam hoc nomine scri-  
bere, aut, ut ceremoniam, rude multis ab hinc an-  
nis communi consensu donatam, rursus revocent,  
superciliosè imperare, nec debemus, nec cupi-  
mus.

Quinet, si in hac ipsa patria nostra, & ea, quam  
indigni docemus, Ecclesiâ, communi omnium or-  
dinum ac statuum suffragio, ordine convenienti,  
sine infirmorum offendiculo, & profano cum Sa-  
cramentarijs Syncretismo, ritus hic, suis quibus-  
dam de causis, ijsq; satis prægnantibus, honestè se-  
peliendus foret, nos patrocinium ejus non adeo  
obstinatè suscepturos, sed in abrogationem illius,  
ut & aliarum, minus fortè utilium consuetudinum,  
rectà ituros esse, sine veniæ Magistralis impetrati-  
one, profiteri non dubitamus, easq; declarationis

hujus



hujus nostræ causas, quas pijs, modestis & doctis  
ingenijs abundè satisfacturas confidimus, cuilibet  
ejus, quæ in nobis est, spei rationem poscenti, im-  
pigrè proluros recipimus. Cum verò vel mi-  
nimum horum violatur, quæ in constituendis aut  
abrogandis ceremonijs Ecclesiasticis studiosè ob-  
servanda esse monuimus, tantum abest, ut vel in  
*ἐπιποθέτω* gratiam Ecclesia hic quicquam concede-  
re, vel Magnatum etiam liberius dicta factave nu-  
tu ac silentio suo confestim approbare teneatur,  
ut *ne ad horam quidem libertatis Christianæ explo-  
ratoribus cedere, & pacem, veritatemq; in Ecclesia  
perturbantibus, assentiri possit, aut debeat.*

Galat. 2,  
¶ 5.

Ne proinde longius abeamus, vix est, qui, quas  
turbas præpostera Exorcismi abrogatio superio-  
ribus annis in diversis Ecclesijs dederit, quomo-  
doq; Sinonijs artibus, & per cuniculos quasi, Ex-  
orcismum illegitimè oppugnando, Sacramenta-  
tariismum Satanas subinde introducere tentarit,  
per lucem historiarum longè clarissimam ignoret.  
Non recitabimus in præsentia *Saxonicarum Ec-  
clesiarum fatum*, quod ante viginti quinq; circiter  
annos hoc in negotio sensit, nimis profecto acer-  
bum. Non referemus, quam miserè *Anhaltina  
Ecclesiæ*, circa idem tempus, sub prætextu abroga-

tionis



tionis Exorcismi, fuerint deceptæ; quæ omnia quoties mens Christiana memoriâ recolit, non potest non & Satanæ in Christi regno oppugnando indefessum studium, & Christi in Ecclesia mirabiliter nonnunquam conservanda, & è faucibus orci eripienda, plus quam paternam curam agnoscere, & admirari. Traducebatur primum ritus hic, speciosè magis, quam verè, quod fermentum redoleret Papisticum; quod corporalem infantum in utero materno Satanæ obsessionem confirmaret, quod deniq; nihil in ullo religionis Christianæ capite sani atq; integri relinqueret. Subsequebantur postea brevi intervallo Magnatum edicta, ceremoniam hanc sub pœnæ gravissimæ comminatione proscribentia. Fidi Ecclesiarum ministri, Diaboli technas prævidētes, deq; iisdē Magistratū fideliter præmonentes, contemptui promiscuè habebantur, nonnulli etiam exilio, mirabili quandoq; *πυφάρετ*, mulctabantur. Hæc superiorum annorum erat fabula, quam alibi etiamnum, personis saltem & habitu nonnihil mutato, autoritate potentum hujus seculi, sine Ecclesiæ consensu, non sine infirmorum Scandalo, piarum animarum gemitu, &, quod dolendum maxime est, privilegij libertatis Christianæ plus

quam

Vide D.  
Polycarpi  
Christliches  
bedenken  
von abs-  
schaffung  
des Exor-  
cismi f. 8.  
&c.



quam aurei inductione, agi, famâ est pervulgatissimum.

Istius autem generis facta ut nostris etiam Ecclesijs, vel exemplo saltem, nociva non sint, nostrumq; prævio Exorcismo perceptum, baptismum suspicione Papisticorum abusu onerare minus possint, ad trutinam veri, ac recti, à Spiritu Sancto in scripturis commonstratam, nunc porro non nihil adhuc examinanda erunt.

Sicuti verò in quacunq; actione, ad quatuor potissimum caularum genera, efficientem scilicet, Instrumentalem, formalem, & finalem maxime respiciendum, eiq; iisdem, cujusmodi factum aliquid sit, iudicium faciendum est, ita ordine, nullam hoc in negotio, de quo sermo nobis est, causam sufficientem ac probabilem, & per id istiusmodi ritus Exorcismi reformationem præposteram & vitiosam esse, ostendere annitemur.

Primam itaq; ac Principem novationis istius inter homines causam si quæras, *Magnatum prætenditur autoritas*, quæ quanto majori potentia instructa est, tanto eam plura à plurimis fieri, usu compertum habemus. Quotusquisq; enim eorum, qui latus principum claudunt, ferè reperitur, cui non illud *Anthonyj Trium viri* mirè arride-

a t, qui



at, qui à prostibulo isto Ægyptiaco, Cleopatra, instigatus, ut Herodem Ascalonitam, multa crudeliter & imperiosè agentem, ad rationes consiliorum reddendas adigeret: Regi factorum rationem exhibendam negabat, quippe cui, unà cum regia dignitate, libera quidvis agendi, potestas sit concessa? Quotusquisque non Consiliariorum istorum Persicorum (Gnathonum rectius) votum approbat, qui Cambysi percontati: num qua lex esset, quæ cum sorore matrimonium contrahere permetteret? se quidem nullam legem, quâ fratri sororem thori sociam assumere liceret: quandam tamen legem, quâ liceret regi Persarum facere, quicquid liberet, invenire responderunt? Esto hoc sane, & inter eos esto, qui, dum Principum nonnunquam panes comminuunt, Gnathonicam exercere, & per illud Comiæ: *ajunt, ajo; negant, nego*, questum, nunc temporis longè uberrimum, facere consueverunt. Nos freti Authoritate Omnipotentis Dei, regis regum, & Domini dominantium, quem unicum & solum ἀρχοντα ἀνυπέυθυον agnoscimus, solam Magnatum auctoritatem tantæ rei, in civitate Dei, Christi Ecclesia, peragenda non sufficere, intrepidè pronunciamus, & solidissimis fundamentis jam modo ulterius demonstrabimus. Scimus per Dei gra-

Josephus  
lib. 15.  
Antiquit  
Judaica-  
rum, c. 4.

Herod.  
lib. 3.

Terent.  
in Eunu-  
cho.

D

tiam tam



Gen. 41.

¶ 42.

Pfal. 47.

¶ 10.

Esa. 22.

¶ 23.

Mat. 22.

¶ 21.

lib. 5. orat.

tiam, tam primæ, quam secundæ legis tabulæ custodiam Magistratui commissam esse, & Principes populi Dei, ab officio, cui præsumt, vi & legibus instructos esse. Novimus, *patres illos patria; terræ clypeos; paxillos in loco fideli; Dei ministros* passim vocari, quæ omnia sicuti auditoribus Christianis, cæ, quæ decet, fide diligenter inculcamus, & legitimo Magistratu vota fidelia facimus: ita Magistratui vicissim, *Deo quæ Dei sunt in Ecclesia danda, & bonos Imperatores intra Ecclesiam, non supra Ecclesiam esse, ex Beato Ambrosio, merito occinimus.* Utrumne verò intra legitimos officij sibi commissi limites Magnates hujus seculi permaneant, cum in rebus Ecclesiæ quidvis prohibitu, sine reliquorum Ecclesiæ ordinum consensu, disponendi potestatem sibi arrogant, & jus reformandi, introducendi & abrogandi ritus ac ceremonias Ecclesiasticas ad se unice rapiunt, causæ nec leves sunt, neq; paucæ, quæ dubitare nos faciunt, quarum dum aliquot hic proferemus, ad judicium Ecclesiæ Christi, omniumq; piarum mentium, nimio hujus seculi amore nondum dementatarum, animosè provocamus.

Principio, cum ritus ac consuetudines Ecclesiæ, non unicum tantum in Ecclesia ordinem con-

cernant,



cernant: sed toti Ecclesiæ inserviant, & publicos  
conventus, actionesq; sacras condecorent, *id eti-*  
*am ab omnibus curandum, quod omnes tangit,* per  
Maximam omni jure receptam, omnibusq; socie-  
tatibus, communitatibus, conventibus, notissi-  
mam, usitatissimamq; consequitur.

Dehinc, ubi ad originem ceremoniarum Ecclesia-  
sticarū Novi Testamēti diligentius respexerimus,  
undeq; Ecclesia potestatem istam, ceremonias pro-  
hibitu introducendi, corrigendi, aut omninò abo-  
lendi, nacta sit, accuratius fuerimus suscitatis;  
*Christum Jesum* libertatis hujus Ecclesiasticæ Au-  
thorem unicè deprehendemus. Is, suā legi præ-  
stitā obedientiā, & interpositā amarissimā passio-  
ne & morte, à coactione & maledictione legis  
Moralis nos non tantum redemit: sed & Leviti-  
cum istud legum ceremonialium jugum liberali-  
ter confregit, inq; eam nos libertatem vindicavit,  
ut non amplius necesse sit, *in cibo aut potu, in parte*  
*diei festi, neomeniæ, aut Sabbathorum,* Mosaicum a-  
liquod sustinere judicium. Hæc vero Christia-  
norum, per Christum parta, *ἐλευθερία*, ane Poten-  
tum tantummodo est? ane pro Magnatibus so-  
lum, & rerum Domini qui sunt, acquisita? Minimè  
vero gentium: sed totius, totius Ecclesiæ est, pro

Colof. 2.  
# 16.



1. Cor.

¶ 8.

Act. 3.

¶ 15.

Galat. 5.

¶ 13.

1. Cor.

12. ¶ 27.

1. Joh. 4.

1.

Matt. 7.

¶ 15.

Rom. 16.

¶ 17.

2. Th. 3.

¶ 14.

qua nobilitanda, & in libertatem afferenda, Dominus iste gloria, & vita Princeps mortuus est. Hanc itaq; dum pauci in Ecclesia sibi de facto assignant, annon eo ipso *libertatem licentia carnis*, contra Apostoli monitum, *subijciant*, & membra Ecclesiae, *qua ipsius Christi membra sunt*, imperiosè prægravent, qui vis cordatus dijudicet.

Accedit insuper, quod hic potestatis Magnatum abusus, cum suppressione Ministerij Ecclesiastici ita est conjunctus, ut nisi malo huic, Deo viam & rationem paternè monstrante, piè & mature obviam itum fuerit, de Ministerio in Ecclesia, deq; congressibus & judicijs Ecclesiasticis, actum omninò esse, nemo non animadvertat. Etsi enim iudicium ministeriale, tam de controversijs in doctrina, quam de bono, & ad ædificationem faciente, in Ecclesia ordine, totius Ecclesiae esse, non minus inficias, eoq; commonefactiones istas generales, quibus singuli Christiani, *Spiritus, utrum ex Deo sint, probare; à falsis Prophetis sibi cavere; eos, qui offendicula disseminant, suo modo observare & declinare jubentur*, spectare largimur: Ministerio tamen Ecclesiastico in rerum prædictarum *diacerei*, non postremas, sed primas in scripturis partes deferri, longè est certissimum. Hujus, officij

publici



publici ratione, est *separare pretiosum à vili; labijs custodire scientiam & legem*, ut ex ore ejus requiri possit; *excubias agere pro grege Domini; gregi Domini attendere*; prævidere deniq; studiosissimè, ne vel in doctrina & ceremonijs, vel in actionibus & vita damnum aliquod Ecclesia percipiat. Utq; ea in re, difficultatibus quandoq; emergentibus, Ministerio, totiq; adeo Ecclesiæ, rectius prospectum sit, *judicia Ecclesiastica, Consistoria* vulgo dicta, laudabiliter constituta sunt, quorum interveniente autoritate, causæ Ecclesiasticæ mature cognosci, ordine discuti, & ad ædificationem domus Dei definiri possint. His medijs, si ad solum Magnatum nutum atq; arbitrium res Ecclesiæ attemperandæ sint, opus amplius non fore, & officium Ministerij Ecclesiastici, unâ cum judicijs, Ecclesiæ causa introductis, prorsus expirare, ij etiam vident, qui altero duntaxat oculo cœcutiunt.

Porro, vel hoc etiam, eos, qui potentiâ & autoritate divinitus ornati sunt, secum perpendere animatus optamus. Si quis fortè Imperator, non requisito Statuum Imperij consilio, leges prohibitu figere atq; refigere, siq; vel ipsi Principes etiam hujusmodi aliqua in suis provincijs, quæ in præjudicium magistratus inferioris cessura essent, in re-

Jerem. 15.  
 V 19.  
 Malach.  
 2. V 7.  
 Ezech. 3.  
 V 17.  
 Act. 20.  
 V 28.

Vide orationem Chytræi, de judicijs Ecclesiasticis, in primo confessu Consistorij Rostochiensis 6. Cal. Aprilis anno 1571. recitatam.



rebus saltem secularibus, solo superioritatis præ-  
x̄tu, introducere præsumerent, dubium omninò  
non est, quin factum hujusmodi ipsi imperij & pro-  
vinciarũ ordines ægerrimè laturi, & protestationũ  
querularum atq; legalium insinuatione, gravami-  
num variorum objectione, alijsq; juris & facti re-  
medijs, legitimè usurpatis, se, suosq; in pristinã &  
à majoribus acceptã libertate essent defensuri.  
Quo verò jure, quod sibi in rebus non ita arduis  
potentes hujus seculi fieri nollent, Ecclesiã, in lon-  
gè majoris momenti negotio, facere, & reliquis  
societatis Christianæ ordinibus libertatem suam  
præripere non verentur? Quo Spiritu ducti civi-  
tatem Dei, Christianæ libertatis privilegio cæli-  
tus donatam, deterioris conditionis, quam est  
mundana aliqua societas, esse volunt?

Deniq; cum in exemplis, ad percellendos ge-  
nerosiores animos, non parum momenti situm  
sit, antiqua Magistratus superiorum ætatum vesti-  
gia inquirere, qualesq; in Ecclesiæ negotijs pru-  
denter constituendis, vel summi etiam Imperato-  
res sese gesserint, considerare non nihil libet. Im-  
perator *Constantinus Magnus*, verè magnus, *Arij*  
non tantum blasphemias, Ecclesiam infestantes,  
coerciturus: sed & de alijs multis, ad *εὐταξίαν* in do-

mo Dei



mo Dei facientibus, certi quid dispositurus, tantum abest, ut vel sibi soli, ex potestatis plenitudine, iudicium sumpserit, vel reliquis reipublicæ Christianæ membris imperiosè quicquam præjudicaverit, ut non nisi in Synodo frequenti, *Nicæa* congregatâ, turbas exortas cognosci, dijudicari, & ex scripturarum præscripto componi voluerit.

Cumq; in tanti, & ob præclara in Christi Ecclesiam merita, nunquam satis laudati Imperatoris mentionem incidimus, facere non possumus, quin ex historia Ecclesiastica, quâ clementiâ diversissimorum locorum Episcopos convocaverit, convocatos audiverit, omniaq; Synodi acta ad sacrarum literarum cynosuram, prudentiâ verè Christianâ, tanto Imperatore dignâ, exegerit, paucis hic referamus.

Primum, ne quid convocatis impedimenti, quod sacrum istum ac solennem impediret conventum, vel ex virium imbecillitate, vel itinerum molestiâ obijci posset, de mulis, jumentis, asinis & equis (concessis in hunc usum, ijs etiam, quibus ipse Imperator vehi fuit solitus) ex publico Episcopis prospexit, eosq; Nicæam commodè deduci curavit.

Theod.  
l. i. c. 7.

Dein,



Dein, Synodo solenniter congregata, ipse Imperator, postremo omnium, paucis comitatus, ingressus est, & in parvo Soliolo, veniam prius præfatus, & concessione ab Episcopis petita, concedit.

Posthæc, superiorum temporum cum præsentibus prudenti, diligentiq; collatione instituta, ad pacem, concordiam & moderationem disputationum Christianam Episcopos paternè hortatus est, eosq; in disquisitione rerum divinarum, non ad Cancellariæ suæ edicta, sed ad Spiritus Sancti oracula, literis consignata, unicè remisit; *Evangeliici enim & Apostolici libri* (sanctissimum Imperatorem dixisse Theodoretus refert) *nec non antiquorum Prophetarum oracula, plane instruunt nos sensu Numinis, proinde seposita hostili discordiâ, sumamus ex dictis divini Spiritus explicationes questionum.* Hæc (addit Theodoretus) & his similia memorabat ille, velut amans paterni nominis, filius Sacerdotibus, tanquam patribus, cupiens confiteri Apostolicorum dogmatum unitatem.

Theod.  
l. 1. hist.  
Ecclesiast  
c. 10. & 11.

Non addimus, brevitatis studio, quæ idem scriptor, de Epistola Imperatoris ad absentes Ecclesiarum ministros clementissimè exarata; de martyrum, quorum membra à prioribus Tyran-

nis erant



nis erant mutilata, paterno complexu, de convi-  
vio, Episcopis liberaliter instructo; de donarijs,  
patribus præsentibus oblatis, alijsq; egregijs o-  
ptimi Imperatoris factis dictisq; copiosè narrat.  
Hujus Imperatoris vestigijs successores postea fi-  
deliter instituerunt: *Theodosius* uterq; gravissimas  
*πυρρομαχων* & *χειρομαχων* turbas, de sententiâ Epi-  
scoporum, *Constantinopoli* & *Ephesi* convocato-  
rum, compescentes: *Martianus*, *Chalcedonensis*  
*Synodi*, contra *Eutychetem* convocata, modera-  
tor, qui omnem in prædicta Synodo, cui cum con-  
juge *Pulcheria Augusta* interfuit, dictaturæ suspi-  
cionem ita studiosè à se amovit, ut *ad fidem tan-  
tummodò confirmandam* (sunt verba ipsius Impe-  
ratoris) *non verò ad ostendendam potentiam, Con-  
stantini pij Imperatoris exemplo, Synodo se interesse,*  
publicè testatus sit.

Sed quo, auditores, dilabimur, vosq; comme-  
moratione temporum adeo antiquorum detine-  
mus? Versantur in manibus nostris, multorumq;  
Christifidelium, acta, recessus, colloquia, à pijs  
magistratibus, nostrâ & patrum nostrorum me-  
moriâ, rerum Ecclesiasticarum causa, instituta,  
quæ, sine Ecclesiæ & Ministerij calculo, probè ex-  
plorato, in domo Dei à Magnatibus nihil quic-

Vide  
parte 1.  
delecto-  
rum di-  
stinct.

96. c. 2.

item a-  
ctionem  
sextam  
Concilij  
Chalce-  
donensis

E

quam o-



quam olim tentatum, statutumq; fuisse, testimonium evidenter dicunt. Antiquis hisce moribus si etiamnum res Ecclesiæ starent, non esset, quod de libertate sibi præripienda reliqui Ecclesiæ ordines justè conqueri possent.

Ad causas reformationis, superius descriptæ, instrumentales properamus, quas itidem multis nominibus vitiosas esse, nullo labore doceri potest. Sunt verò eæ non unius generis, sed pro circumstantiarum, actionibus humanis inservientium, varietate, diversimodè quoq; considerandæ veniunt.

Ac initio quidem, cum actiones proæreticæ & consultò institutæ certis nitantur consilijs (*siquidem, juxta Cassiodorum, omnis providens Consilium querit*); optandum maximè est, dum Potentes hujus seculi ardua istiusmodi, & Ecclesiæ tranquillitatem concernentia negotia tractant, ut in tales incidant *βαλευτῆς*, qui neq; ab Orthodoxâ religione sint alieni, nec fidei professione quasi tesseris ludant, nec vocationis etiam suæ limites, Consilia Ecclesiastica suggerendo, excedant. Verum enimvero, quod anxie hic quidem optamus, sperandum non semper esse, infelix Ecclesiæ fatum satis nos superq; edocuit. Experientia enim

magistra

lib. 6. E.  
pist. 29.



magistra compertum est, suasores novationum  
in Ecclesia homines plerumq; Calvinisticis erro-  
ribus imbutos, aut etiam, sub speciosâ communis,  
sic dicti, Præceptoris (*Philippum Melanctonem*)  
designamus) autoritate, lenipedes, ἀμφιδέξισ, & in  
fidei negotio neq; calidos neq; frigidos esse. Hi,  
postquam artibus hujus seculi Principibus sese vi-  
ris insinuarunt, & ad aliquod dignitatis fastigium  
in aulis Magnatum evecti sunt, ritus nostros Ec-  
clesiasticos, pro transmarinâ suâ sapientiâ, sugil-  
lare, infera superis miscere, in delicijs habent, &  
summos Provinciæ Rectores, ut ad formam  
*Hugenoticam, Belgicam, Anglicam &c.* Ecclesias  
deformant, *πειθοῖς ἀνθρώπινης σοφίας λόγοις*, subinde im-  
pellunt.

1. Cor.  
2. V 4.

Vix quisquam, auditores, *Socraticam* illam, in  
rebus non ita arduis, probaret patientiam, ut *Hi-  
spano, Tartaro, Moscho*, aut alij cuiquam Barbaro  
rei suæ culinariæ dispositionem, vel ad breve so-  
lummodo tempus, concederet, illumq; domi suæ,  
in aliquot saltem horas, imperantem toleraret:  
Et tamen Christi Ecclesia hujusmodi Consulto-  
rum ac Novatorum arbitrio nonnunquam expo-  
nitur, *qui Deum nostrum ignominiosè deformant;*  
*qui Christum nostrum dividunt; qui panem nostrum*



vita blasphemant; qui deniq; si actionem & praxin  
eorundem, remoto aliquantisper blanditiarum  
fuco, diligentius consideres, *no vercali nos odio pro-*  
*sequuntur, nostraq; fidei socios nihilo quandoq; miti-*  
*us, atq; solent hostes infensissimi, tractant.* O rem  
Christiano homine & nomine indignam! O mi-  
seram, & bis miseram, fatum hujusmodi quæ sen-  
tit, Ecclesiam! O deperditi novissimi hujus seculi  
mores! Quid enim, per Deum immortalem, ab  
ijs sani ac probati in Ecclesia expectari potest,  
qui res Ecclesiæ è majestate dignitateq; sua non  
æstimant, neq; etiam, per judicij defectum, æsti-  
mare quandoq; possunt? de quibus, cujusnam re-  
ligionis aut fidei sint, non satis accuratè constat?  
quiq; tanti sibi religionem fieri, ut ejus causa mar-  
tyrum numerum aucturi minimè sint, non obscu-  
rè significant?

Nostra, qui à professione, & vitæ genere, quod  
sectamur, Clerici, aut Theologi nuncupamur, ea  
plerumq; fortuna est, ut, quoties rerum seculari-  
um mentio incidit, silentium nobis istud homi-  
num genus superciliosè sæpissime imperet, nosq;  
salsè nonnunquam exhibet; Qua in re præcla-  
ro ill o Salvatoris dicto: *Vos autem non sic*, adeo  
frequenter abutuntur, illudq; in cothurnum mul-

tifor-

Luc. 22.  
v. 26.



tiformem, indignâ omninò μεταμορφώσει, ita haud raro transformant, ut dicti istius abusu, rerum ad vitam hanc sustentandam usu tandem (si fieri possit) interdictum nobis iri, periculum sit. Cur vero, in nobis & foris quod reprehendunt ἀποστολεγεγυμνες isti, domi non observant? Cur *Apelleum* istud: *Ne super ultra crepidam*, negligunt? Cur extra professionis suæ limites falcem quandoque in alienam messem mittunt, & viris Magnatibus, ut & amplis Rebuspublicis, hujusmodi consilia, quæ Ecclesiæ, si non prorsus exitiosa, at certè onerosa & nociva maximè sunt, suggerunt?

De *Constantio* Imperatore, in Synodo quâpiam, religionis causa conscriptâ, justo sese imperiosius gerente, & quid fieri vellet, convocatis pro autoritate dictante, scriptor quidam Ecclesiasticus narrat, quod à *Leontio*, in *Mysia* ad *Istrum* Episcopo, his verbis exceptus fuerit: θαυμάζω σε, ὅτι, ἔπειτα διέπειν τὰ χθεις, ἔπειτα νῦν χερσεύεις, hoc est: Miror Imperator, quod cum alia heri tractaveris (politica scilicet) alia nunc agas; quâ voce commonefactus Constantius, dictaturâ depositâ, è confesso discessit. Utinam vero idem hodie intempestivi isti Magnatum βαλευπηῶν rectius ponderarent, & sicuti πολιτικῶν ἀρετῶν ἱεροσύνη συνάπτειν, nihil aliud esse, quam

Vide Neandrum in Theologia Christiana, fo. 661.

Vide Scholia Nicepho.



ril. 14. C,  
14)  
edit. O-  
porini  
Anno.  
1559.  
Damaſc.  
orat. 2.  
de Ima-  
ginibus.

συγκλάθειν τὰ ἀσύγκλαστα, ex *Smida* didicerunt, & in o-  
re frequenter habent: ita vicissim: ἡ βασιλείων, ἔδε  
ἐρχόντων εἶναι, νομοθετήσαι τῇ Ἐκκλησίᾳ, ex *Dama-*  
*sceno* notarent, & usu pio ac religioso probarent.

A Consultoribus ad Executores voluntatis Ma-  
gnatum, in ritibus Ecclesiasticis, præposterè abro-  
gandis, progredimur, in quibus, si, qualis esse debe-  
bat, fides esset, non ita laboraremus. Fit enim  
persæpe, ut dum Christi atq; Ecclesiæ ministri  
complures in aulis Principum mystagogi audire  
ac videri volunt, hominum ministri fiant, & quæ  
ad Ecclesiæ tranquillitatem; Ministerij Ecclesiastici  
coniunctionem; bonum deniq; in Ecclesia ordi-  
nem tuendum spectant, parum attendant; id u-  
nicè curantes, ut hominibus, placentia dicentes,  
placeant, & gloriæ auræq; interea suæ impigrè ve-  
lificentur. Hos si ad fidei suæ Confessionem e-  
dendam invites, & quibusnam ecclesiæ Symbolis  
sincerè subscribāt, scire aveas, à Magistratus Secu-  
laris voluntate ac placitis pendere, & post carecta  
latitare deprehenduntur: sin, quid de ritibus ac  
ceremonijs nostris Ecclesiasticis sentiant, tibi ex-  
poni flagites, quicquid Magnatibus placet, sibi  
quoq; perinde fore, itidem regerunt, inq; eo toti es-  
se deprehenduntur, ne, in mala etiam causâ, illo-

rum



rum amittant gratiam, ex quorum quadrâ vivunt.

*Basilij* cujusdam *Camateri* magni nominis & profundæ eruditionis author meminit, eum, ut *Patriarchatum Constantinopolitanum* facilius consequeretur, turpi, & Fpiscopo indignâ Syngrophâ Imperatori sese obstrinxisse: omnia quæ *Andronico* (hoc enim Imperatori nomen erat) placerent, se executurum, & quæ displicerent, studiosè averſaturum. Fæda profecto hæc fuit adulatio, cuius libero homini, multo vero magis Dei & Ecclesiæ ministro, cane peius & angue fugienda. Quantum verò à *Basilio* hoc ij distare censendi sunt, quibus, in Officio Ecclesiastico exequendo, voluntas ac nutus Principum pro lege est, quiq; Divinam authoritatem potentiæ humanæ perfidè subijciunt? His illustres animas concedas! His, si quid in Ecclesia rectè curatum velis, committas! Hos Ceremoniarum Magistros ac Reformatores constituas! Scilicet.

Longè revera alios sacrorum, in aulis Magnatum, Antistites, sacra nobis paginæ describunt, è quibus, in gratiam modernorum famelicorum Gnathonum, nonnullos hic introducere alubescit.

Cum Rex

Philip.  
Camera-  
rius cent  
3. opera-  
rum sub-  
cif. c. 6.



Cum Rex Judæ, *Ozias*, *Amasia* filius, prospero ac felici rerum temporalium successu elatus, in functionem Sacerdotalem, successoribus *Aaronis* unicè demandatam, sese ingereret, & somnio plenitudinis potestatis dementatus, sacra super altari thymiamatis faceret: tantum certe abfuit, ut Sacerdotes Domini regium hoc facinus silentio suo approbare, & peccatis alienis communicare voluerint, ut, *Azaria* duce, octuaginta alij veste Sacerdotali amicti, regi in faciem restiterint, eumq; *μετὰ τριηκοντικῶν* hoc modo compellarint: *Non est tui officij Ozia, ut adoleas incensum Domini, sed sacerdotum, filiorum Aaron, qui ad ministerium hujusmodi consecrati sunt. Egredere de Sanctuario, quia peccasti, non reputabitur tibi factum hoc in gloriam à Domino.*

2. Paral.  
26. v. 18.

1. Reg.  
13. v. 2. & 3.

Exod. 7.  
3. 9. &c.  
1. Reg. 18.  
v. 18.  
2. Reg.  
1. v. 16.  
Ez. 39. v.  
6.

Primo Israelitarum regi, *Jeroboamo*, thus in *Bethel*, impiè & contra mandatum Divinum, accedente, Propheta quidam Domini iram altissimi coram intrepidè denunciatur, Deumq; idololatriam istam gravissimè aliquando vindicaturum prædicit. Quanto zelo *Moses* & *Aaron* *Pharaonem*, *Elias* *Achabum*, *Eliseus* *Foramum*, *Esaias* *Ezechiam*, *Jeremias* *Jojakimum*, *Jechoniam* & *Sedeciam*, *Johannes Baptista* *Herodem*,

alijq;



Jerem.  
25. 26. & c.  
Marc. 6.  
v. 18.

alijq; sacris aulicis præfecti, alios, potentiâ quidem & dignitate conspicuos, sed autoritate suâ in perniciem Ecclesiæ abutentes, reprehenderit, eoq; ipso ministerium suum potestati humanæ minimè subesse fuerint restati, scriptura copiosè recenset. Hæc priscorum Heroum vestigia si et jamnum ij, de quibus sermo est, spiritu ferventi sectarentur, minus hodiè detrimenti Respublica Ecclesiastica perciperet; minus haud dubiè novationum passim audiretur.

Elegans alicubi extat *B. Augustini*, in Silentarios & αἰθραταίονους istos aulicos, γυμνοὺς, quam ut *Ecclesiasticæ* & lenipedes isti imis recondant sensibus, & accurratè expendant, animitus optamus: *Lupus*, inquit *Augustinus*, *o vi guttur apprehendit, Diabolus fideli heresin persuasit: Tu taces, non increpas, ne fortè offendas. O mercenarie, lupum vidisti & fugisti. Respondes fortè, pergit Augustinus, Ecce hic sum, non fugi: Fugisti, respondet idem, quia tacuisti, tacuisti, quia timuisti. Ita Augustinus.*

tractatu  
46. in Jo.  
hannem.

Nolumus hoc loco commemorare, quantis, numero & pondere, mandatis, zelum hujusmodi ferventem Ecclesiæ Ephoris plus millies Spiritus Sanctus inculcet; quas in lenipedes istos, humanam gratiam Divinæ præferentes, & iram Altissi-

F

mi secu-



mi seculari commodo aut incommodo postponentes, diras evomat, quantoq; rigore operum & laborum Ecclesiasticorum examen, in magno illo extremi judicij die, institutum iri, tories testetur; quæ omnia & singula, si cujusquam forte ministri Ecclesiæ pectus non percellunt, næ, is sibi cum pietate commercij nihil amplius esse, seq; fidei & conscientiæ nuntium jam pridem misisse, facto ipso ostendit!

Causæ Formalis, circa prædictam novationem, examen aggredimur, quam prioribus nihilò sanio-rem aut meliorem esse, tantò ostenditur utilius, quantò certius est, formam, ut omnium aliarum rerum, ita actionum quoq; vitam quodammodo & animam esse, eamq; si justa sit, facti bonitatem, si spuria & adulterina, detestandam foeditatem manifestè prodere.

Investigantibus verò sacram quandam regulam, & *καθόρα ἀδίαλευσον*, juxta quem ceremoniarum Ecclesiasticarum, ipsiusq; adeo Exorcismi, abrogatio tutò institui possit, non, quid rationi aut affectibus humanis sapiat, cæco confestim impetu, in gratiam Magnatum hujus seculi, approbandum: sed ex officina Spiritus Sancti, & Sacrarum literarum divite penu, amissis ista, ad quam refor-

matoria,



matoria hujusmodi actiones exigendæ sunt, uni-  
cè erit petenda. Atq; hic, dum ad eas scriptu-  
rarum partes, quas post acquisitam libertatem  
Ecclesiasticam Novi Testamenti consignatas ef-  
se constat, oculos animumq; convertimus, in sine  
illud, vereq; aureum *Tarsensis Apostoli* dictum oc-  
currit, quo, in rebus Ecclesiæ disponendis, id accu-  
ratè observandum, salubriter suadet; ut *ἐν χημόναις* ο-  
mnia, *καὶ κατὰ τάξιν* fiant.

1. Co-  
rint. 14.  
49.

Duo, *γνώμη* hæc, *gentium Doctor* in actionibus  
sacris requirit, quorum primum *ἐν χημοσύνη* est, *ἐν ταξία*  
alterum. Illud actionis modum, hoc ordinem in-  
culcat: Illud ne quid temerè aut indecorè, hoc,  
ne quovis tempore, aut processu arbitrario, quid-  
vis fiat, sed ulò cavet. Estq; cum primis notabi-  
le, quod ad limam adeo accuratam Christiano-  
rum in Ecclesia actiones Apostolus revocat, ut  
hic non quodvis *χημα* sufficere, sed *ἐξοχώτατα* ο-  
mnia esse debere, adverbiali particula præposi-  
tâ, acutè doceat. Cum hisce ergò virtutibus  
quicquid, in quâcunq; religiosâ Christianorum a-  
ctione, consentit, calculo Apostolico probari,  
quod verò heterogeneum est, claudicare, & in le-  
ges Christianismi turpiter impingere, omninò  
præsupponimus. Videamus nunc porro, an in-



tra cancellos hosce consueta Exorcismi proseri-  
ptio sese contineat, an verò τὸ πρῶτον Ecclesiasticum,  
modò explicatum, alicubi lædat.

Augiæ hic stabulum nobis purgandum erit,  
quod tantâ sordium copiâ vix scatuisse, atq; hæc  
præposteræ abrogationis Exorcismi forma vitij  
laborat, ordine ostendemus.

Vt verò rem in compendium redigamus, ἐναρ-  
μυνίας novationibus istis eo primùm turbari gravis  
est præsumptio, quod sine ullâ urgente, aut pro-  
babili saltem causâ, ista, toties dicti ritus, abroga-  
tio suscipitur, & per id temeritatis notam mani-  
festè incurrit. Etsi enim ea τῶν ἀδιαφόρων natura ac  
conditio est, ut vel tolerari, vel etiam abdicari li-  
berè possint: utrobiq; tamen nihil temerè, inconfi-  
deratè, aut sine causis sufficientibus committi de-  
bet; quod quoties fieri videmus, istos rituum no-  
strorum reformatores, animi impotentis, & re-  
bus novis plus justo studiosi, indicium proferre,  
non abs re conijcimus.

Id si istis ceremoniarum nostrarum nimis rigi-  
dis Censoribus auditu durum est, edisserant nobis,  
quid ad Exorcismi ejectionem ipsos permoveat,  
quâve de causa ritum hunc tolerare amplius no-  
lint. Papismum hic nonnulli objicient.

Cor-  
poralem



poralem, infantum recens natorum, obsessionem se detestari ostendent. Fidei articulos, & ipsa Christianismi fundamenta, Exorcismo subverti clamitabunt. Alij deniq;, prout fert varietas ingeniorum humanorum, aliud prætendent.

At verò tussis hæc est pro crepitu, dumq; pruritu dominandi in Ecclesia laborant, dicis causa varios, facto huic suo anomalo, prætextus conquirunt. De Papatu quod dicunt, nugatorium omninò est, cum ritum hunc Papatus initium transcendere superius jam sit evictum. Quod si insuper omnia ea, quæ sub Papatu extiterunt, vel Papatui etiam *diversis* inservierunt, suspectæ continuò fidei esse censenda sunt: annon hoc ipso Codex Biblicus exulare vel tandem jubebitur? annon Solem de cælo deiicient? annon elementorum usu, nobis cum Papatus temporibus communi, generi humano aliquãdo interdicient? Ex corporali Sata-næ obsessione quas petunt præstigias, eæ antea similiter discussæ sunt: sic tamẽ, ne malum originale, & in quas illud miseros infantes conjecit miseras, quicquam elevatum velimus; cum major sit tanti contagij vis, quàm ut lingua humana eã explicare sufficienter possit. Fidei articulos & prima Christianæ doctrinæ fundamenta quod spectat, ubi cla-



Ammianus Marcellinus  
lib. 18.  
comm.  
in initio.  
1. Eth.  
Nicom.  
cap. 1.

rius mentē nobis suam Novatores aperuerint, & quis fidei apex per Exorcismum nostrum labefactatus hactenus sit, perspicuè monstraverint, sine responso non abibunt; id verò quamdiu non faciunt, quis vitio nobis vertet, si illud Juliani Imperatoris: *Vbi accusare sufficit, quis innocens erit, Catonibus istis objecerimus? Manet ergò, hujusmodi novationem, eò, quod <sup>αγαθὴ ἡνὸς ἐφ' ἑοδῷ</sup> monstrari nequit, temerè suscipi, & per id ordinatis ac regularibus actionibus, boni cujusdam causa (vel Philosophi etiam judicio) institutis, accenferi verè non posse.*

Superest aliud quippiam, priori longè gravius, quo <sup>ἐν ἡμετέροις</sup> Apostolicam, hunc, ritus Ecclesiasticos abrogandi, morem, non parum lædere, itidem clarissimè ostenditur.

Postquam enim hæc Exorcismi ceremonia, à Novatoribus variè denigrata, & in suspicionem detestandæ impietatis, sine ullo suo merito, adducta est, non jam per libertatem Ecclesiasticam, toti Ecclesiæ concreditam, rude donatur, & liberè dimittitur: sed volenter eijcitur, illiusq; usu, sub quadam coactionis specie, Ecclesia imperiosè privatur.

Commodum hic nobis illud *Philosophi* incidit,

qui <sup>ἐν</sup>



qui ἐν ἐκείνῳ τὸ μέσον λαβεῖν, ἔργον dicit, id quod circa rituum Ecclesiasticorum observationem, & eorundem abrogationem, in diversis diversorum errorum authoribus manifestè conspicitur.

Papa Romanus ad rituum & consuetudinum Ecclesiæ observantiam, sub quâdam necessitatis lege, suos astringit, anathematis etiam fulmen in eos minaciter vibrans, qui à propudiosæ matris, Ecclesiæ Romanæ, Sanctionibus, vel extremâ etiam necessitate nonnunquam adducti, nonnihil recedunt. Novatores contrâ res liberas, & à Deo nunquam usquam prohibitas, necessariæ abstinentiæ legi subijciunt, istâq; interdicti & prohibitionis severitate conscientijs hominum scrupulum iniiciunt. Tyrannis utrobq; exercetur, & jugum cervici Ecclesiæ, privilegio libertatis Christianæ nobilitatæ, imponitur intolerabile. Illic mandato, hic interdicto peccatur: Ad dextram isti, hi ad sinistram, à regio veritatis tramite, periculose juxtâ ac impie deflectunt, utq; præstantissimi boni, libertatis puta, jacturam Ecclesia faciat, utriq; pro virili allaborant.

Cum *Paulus Apostolus*, vas illud gratuita electionis, tuba Evangelij, rugitus Leonis, tonitru gentium, & *Christiana eloquentiæ lumen* (sicuti eum

in proœmio  
Epi-  
stolarum  
Paulina-  
rum.

Hierony-



*Hieronymus* alicubi nominat) Ecclesias Christi ipsemet adhuc doceret, reperti sunt, qui eadem interditi viâ, in rebus indifferentibus, civitati Dei negotium facessere, & leges præscribere non fuerunt veriti; quorum conatus & verba, ut alias sæpè, ita in eâ, quæ Colossensibus inscripta est, Epistolâ *μιμητικῶς* exprimit, inq; ciborum prohibitione adeò rigidos censores fuisse refert, ut Ecclesiæ membris dixerint: *μη ἀψη, μηδὲ γεύσῃ, μηδὲ δίψῃ*, hoc est: *ne tetigeris, neq; gustaveris, neq; contrectaveris*. Quid verò ad imperiosas istas PseudoApostolorum voces Apostolus? Adeo, me *Christe*, viriliter, & zelo verè Apostolico tyrannidem istam, Ecclesijs intentatam, expugnavit, laqueos, conscientijs irretiendis complicatos, disruptit, & factum Spirituum istorum erroneorum dejecit, ut vindex & assertor immunitatis Ecclesiasticæ audire ac dici mereatur maximè strenuus.

Colof. 2.  
v. 21.

Primò res istas, quibus Colossensibus interdicebant pseudoApostoli, *σοιχεῖσθαι τὸ κόσμῳ*: Inhibitiones verò ipsas, *ἐντάλματα καὶ διδασκαλίαι τῶν ἀθεοῦπων* nominat, ijsq; *Christianos cum Christo mortuos esse*, *Et amplius non teneri*, expressè scribit. Quin & alibi, *Galatas tuos in libertate, à Christo acquisitâ*, contra inordinatas huiusmodi inhibitiones, stare,

Colof. 2.  
v. 20.

tantâ



Gal. 5. v.  
1. & 2.

Gal. 2. v.  
4. & 5.

tantâ orationis vehementiâ, & rationum pondere hortatur, *ut ijs*, qui rebus in Novo Testamento liberis sub quadam necessitatis opinione sese subijciebant, *Christum nihil prodesse* denunciet. Idem alibi, *se hujusmodi libertatis nostræ, quam in Christo Jesu habemus, exploratoribus, ad veritatem Evangelij retinendam, & servitutem, libero Christiano indignam, amoliendam, ne ad horam quidem subjectione cessisse*, totidem verbis dicit. Et quis quæso mortalium est, aureæ libertatis amans qui est, si civilem saltem immunitatem sibi violenter, jubendo aut inhibendo, eripi sentiat, qui id inter actiones violentas non referat, easque à se, quocunq; licet modo, amoliat? Quanto itaq; crudelius est, conscientiarum sibi arrogare dominium, seq; illarum rerum profiteri *δεσποτέω*, quas ipse Dei filius *λίτρω* pretiosissimo, sanguinis nimirum sui effusione, liberæ Ecclesiæ Christianæ potestati subjecit?

Cæterum non minor reformationis hujus illegitimæ in *Αραξίαι* quoq; est impietas, in qua detegenda etsi copiosi esse, & longa orationis tela institutum nostrum continuare possemus: vestra tamen, auditores benevoli, attentio, plus satis hactenus fatigata, ad finem nos properare, & summa

G

tantum



tantum rerum capita indice quasi digito ostendere jubet.

Ac initio quidem temporis moderni, in quod consensescens incidit Ecclesia, isti rerum novarum, in ceremonijs eliminandis, authores, rationem accuratam non habere, eoq; ipso *ἀνάγκη* agere conquerimur. Est profecto ea hujus seculi injuria, & status Ecclesie misero adeo loco, ut obtutu difficultatum Ecclesiam undiquaq; prementium, obturatis auribus cum *Polycarpo Martyre: Bone Deus, in qua nos reservasti tempora*, exclamare non immerito possimus. Reviscunt passim prisca illa & multis abhinc seculis ad orcum relegata hæreticorum monstra, *Arij, Photini, Macedonij, Nestorij*, aliorumque hæresiarcharum blasphemie, non *Asia* amplius, *Thracia, Egypti*, aliasq; in disitis olim locis sitas divexant Ecclesias: sed in Germanie medullis, nostroq; propemodum choro & foro audiuntur. Scandala insuper, ruptis publicæ honestatis, justitiæ & charitatis Christianæ repa gulis, tanta undiquaq; copia in agro Domini succrescunt, ut vaticinia Salvatoris nostri de ultimarum temporum miseria exulcerato hoc seculo, complementum suum omnibus numeris ac modis

consecu-

Euseb.  
lib. 7. hist.  
Ecles. c.  
20.



consecuta esse, nemo, nisi præfractè stupidus, negare possit. Eò proinde omnis Magnatum, aliorumq; ordinum cura convertenda unicè nunc erat, ut fidei sua constaret integritas, hæreses è civitate Dei exularent, & succisis, quantum in militante Ecclesia licet, errorum & scandalorum radicibus, *arbores justitiæ, & planta in gloriam Dei* in omnibus vitæ statibus copiosæ succrescerent, *miseriordia & veritas sibi in vicem obviarent, justitia & pax sese suavissimè exoscularentur, veritas deniq; & concordia*, quæ duæ quasi Ecclesiæ columnæ sunt, *amicè cohabitarent*. Ecce tibi autem, in tanto miseræ Ecclesiæ luctu, cum adiphoris bellum non necessarium geritur, Exorcismus violenter proscribitur; intempestivæ ceremoniarum novationes suscipiuntur. Quid est belli tempore mentam serere, si hoc non est? Quid est ægrotanti & tantum non expiranti Ecclesiæ medicinæ loco vulnera infligere, ejusq; , si fieri posset, *παρολεθρίαν* accelerare, si hoc non est?

Deus, qui Deus ordinis est, tempora & dies sapientissimè dispescuit, nec cuivis tempori quidvis convenire, *sed tempus nascendi & moriendi, tempus plantandi & evellendi, tempus oc-*

Es. 61. V 3

Ps. 85. V 11.

Zach 8.  
V 19.

1. Cor. 14.  
V 33.

Eccles. 3.  
V 2.



cidendi & sanandi, tempus destruendi & edificandi, tempus flendi & ridendi, tempus plangendi & saltandi &c. esse in verbo suo prudenter docuit. Hunc ordinem divinum anne ij etiam observent, quibus tristissimo hoc & luctuosissimo Ecclesie tempore lites non necessarias ferere, & reformationibus præposteris serenitati Ecclesie nubem inducere ludus jocusq; est, Christi Ecclesia dijudicet.

Rom. 12.  
v 15.

In acerbo & publico aliquo civitatis luctu, si quis frontem palam explicaret, & genio indulgeret liberius, non in Paulinam tantum cohortationem, quæ cum gaudentibus gaudendum, cum flentibus flendum esse docet, scandalosè impingeret: sed justam etiam Magistratus Politici animadversionem incursum haud dubiè esset. Id cum inter homines fiat, quid Deo animi esse putabimus, cum tempora hæc luctuosissima, in quæ Ecclesia incidit, usq; adeò inverti, & igni, in æde Dei accenso, oleum intempestivis reformationibus infundi videt?

Accedit priori altera, major adhuc, *ιὺραξίαις* turbatio, quam Methodus, in abrogatione Exorcismi observari solita subministrat. Novimus

incere-



in ceremonijs constituendis, aut etiam, gravibus de causis, dimittendis, processum hunc tutissimum, probatissimumq; esse, ut animi ex verbo Dei primò omnium solidè de toto negotio informentur, ac præparentur, quo præmissis, si quid forte abusu rebus indifferentibus adhæreat, sua id postea sponte concidere, & sine difficultate ac scandalo infirmorum, remotiones rituum & ceremoniarum institui posse, longè est certissimum. Hæc Apostolorum, omniumq; piorum Ecclesiæ Antistitum reformatoria fuit methodus, quâ verbum Dei pedum suorum lucernam, & lumen semitarum suarum se unicè agnoscere, liquidò sunt testati. At verò ordo hic genti Sacramentariæ usq; adeò sordet, ut factis, quam verbo, *securi ac bipenni*, quam voce, mordacibus sarcasmis, quam Spiritu lenitatis, reformationes peragere, & ritus Ecclesiasticos tollere malit, sicuti id quoq; in Exorcismi abdicatione clarissimè conspicitur. Huic enim nuntium missuri, informationem, ex verbo Dei verè & solidè deductam minimè præmittunt, sed vel mandatis minacibus & imperiosis rem aggrediuntur, vel sermonibus, ad stuporem usq; impijs, ea Exor-

Pf. 119.

X 105. 110.

Pf. 74. X 6.



cismo , inter pocula nonnunquam , & *largas Salutipotationes* , pro iudicij sui de rebus sacris singulari acrimonia , affingunt , quæ uniuersus orbis Christianus , à mille propemodum & quingentis annis , in ritu hoc liberè retento obseruare non ualuit. Postea ceremoniæ huic , ludibrio jam satis habitæ , ultimum uale de facto dicunt , eamq; , nulla infirmorum habita ratione , per sua ad id conducta , & uivis coloribus superius nonnihil delineata organa , ignominiosè eijciunt. Bella (si dijs placet) reformandi methodus , in qua regulæ isti compendiaræ maximè locus est , quæ pluribus agendum non esse , quod paucioribus absolui potest , præscribit.

Eadem olim Patriarchæ omnium Sacramentariorum , *Nestorij* , in Ecclesijs reformandis praxis fuit. Is enim , *Socrate* teste , in prima *Constantinopoli* ad populum habitâ oratione , Imperatorem , ut hæreticos uolenter adoriretur , uoce admodum insolenti , compellauit. Arianorum postea templa de facto demoliturus , eo rem perduxit , ut facibus ardentibus iisdem injectis urbem Constantinopolim in maximum incendij & seditionis periculum adduxerit , quam ob causam etiam *non modò ab hæreticis* ,

*sed* ☩

lib. 7. hist.  
Eccles.  
cap. 29.



sed *S* ijs, qui domestici erant, Fidei incendium  
(ut Socrates memorat) appellatus fuit. Idem  
quoq; processus à *Carlstadio*, in ceremonijs Ec-  
clesiasticis de facto importunè exturbandis *Wi-*  
*tebergæ* olim observatus fuit, quem Beato *Lu-*  
*thero*, in Pathmo suo, deformationis istius tem-  
pore adhuc latitanti, summoperè displicuisse,  
literis, datarum turbarum causa *Ecclesia Wite-*  
*bergensi* inscriptis, graviter restatus est: *Novatio*  
*ista*, scribit *Lutherus*, in ceremonijs introdu-  
cta est, id mihi nullo modo probatur, quod di-  
ctum vobis volo. *S* i sit causæ istius reddenda  
ratio, me patrono non utemini: sine me id capi-  
stis, ut ergò sine me id defendatis, curabitis.  
Probari non potest factum vestrum, si iterum  
atq; iterum *Carlstadius*, vel quivis alius id man-  
darit. Quinimò *Carlstadium* è regno Christi,  
turbulentâ istâ actione, elapsum, & fidei nau-  
fragium passum esse, pro suo, in conservanda  
*Ecclesiæ* tranquillitate & rituum *evangelicæ*, studio  
idem *Lutherus* scribit. His sese antesignanis,  
novatores ac reformatores isti ceremoniarum  
nimis fervidi, oblectent. Sub his sacræ mili-  
tiæ ducibus stipendia, si velint, mereant, ut,

Tom. 2.  
Jenensi  
German.  
fol. 68.

cujus



cujus Spiritus filij sint , orbi Christiano magis magisq; vel tandem innotescat.

Ad causæ finalis considerationem decurrimus , in qua corrupta itidem atq; perversaprehendemus omnia. Missis verò in præsentia, varijs encomijs, quibus facti hujus sui utilitatem reformatores commendare, & , quod vino insipido ac minus vendibili fieri opusest, hederam suspendere, studiosè solent : si, qua inde in Christi Ecclesiam redundant incommoda, nonnihil saltem aperuerimus, nostro hic quoq; officio functos nos esse, & , quod superioris recepimus, mediocri nos fide præstitisse, confidimus.

Ingentem autem illam malorum lernam, quam præpøstera hæc novatio secum trahit, hoc loco, fusius explicare, neq; instituti præsentis ratio, neq; vestra etiam, auditores optimi, satis hæctenus perspecta, & dehinc quoq; studiosè nobis conservanda, benevolentia ferre videtur: suffecerit, si è multis pauca, è maximis minima solummodò annotaverimus, & quibus contagijs novationes prædictæ, in Ecclesiæ & multarum animarum perniciem conjunctæ sint, tribus, quod dicitur, verbis adhuc exposuerimus.

Hoc dum



Hoc dum conamur, illius primò omnium reformationes hujuscemodi, toties commemoratas, noxias maximè esse evincit, quod Christi Ecclesiam pace optatâ frui non sinunt: sed classicum, sine causa, canendo, omnia perturbant, inquietantq̃.

Pacis & Concordiæ bonum, quanti, non in foro saltem, sed choro cum primis faciendum sit, varia sacrarum literarum encomia, imagines, mandata, quibus illud frequentissimè describitur, &c. Christianis studiosè commendatur, indicio esse possunt. *Psalmes Regius* amicam Christi fidelium conjunctionem *fragranti oleo de capite Aaronis in barbam ac vestimenta ejusdem destillanti*, *in Erori*, à vertice *Hermonis in montana Sion suavi ψυγισμῷ* decurrenti comparat. *Syracides fratrum* ὁμοίως, *vicinorum* φίλων, *conjugum* συμφειβοσων, *τείας καλῆ ἐρατῆ κλεῖς καὶ ἀθεώπων* nominat. *Apostolus Paulus* Christianos sedulò hortatur, ut sint *πυθαζοντες τηρεῖν πλὴν ἐνότητῃ τῷ πνεύματος ἐν τῷ συνδέσμῳ τῆς εἰρήνης*. *Quinet* alibi *sine pacis studio Deum neminem visurum* scriptura graviter monet. Et quis nescit, quantum laboris in pacis & fraternitatis Christianæ commendatione novatorum modernorum Magistri, viri Sacramentarij annos

Pf. 133.  
V 2.

Syracid.  
25. V 2.

Eph. 4. V  
3.

Heb. 12.  
V 14.

Die Treu-  
berzige  
Verma-  
nung der

H

jam com-



Pfalzi-  
schen Bte.  
chen anno  
607, edita.

Gal. f. 7  
12.

jam complures insumpserint, quoties fraterni-  
tatem nostram expetiverint, quâ styli virulen-  
tiâ Doctorum nostrorum zelum insectati sint?  
Quæ si ab istis seriò & *ἀνευ δόλου* acta sunt, cur bel-  
lo adiphoristo Ecclesias nostras infestare non  
desinunt? cur litium ac dissidiorum causas pru-  
denter non avertunt? cur *judicium Domini, quod*  
*turbatoribus Ecclesia, quicumq; illi sint, portan-*  
*dum aliquando esse Apostolus scripsit, seriò non*  
*exhorrescunt, & feciales esse desinunt?*

Primum istum reformationis illegitimæ fru-  
ctum degustavimus, satis revera amarum; suc-  
cedit alius, æq; insipidus, *Scandalum* scilicet,  
quod per insperatas istas, minusq; necessarias in  
Ecclesia novationes, infirmis datur. Neq; enim  
cuiquam, qui, qualiter Christianorum animi af-  
fecti nonnunquam sunt, usu perspectum habet,  
dubium esse potest, quin complures eorum, apud  
quos columbina veræ fidei simplicitas regnat, rei  
novitate reddantur attoniti, & non ritibus tan-  
tùm Ecclesiasticis, sed integritati fidei malè unâ  
metuant, eaq; de causa apud semetipsos coan-  
gustentur. Horum gemitus & amara suspiria,  
uti Deo, *cordium ac renum scrutatori* ignota mini-  
mè sunt: ita scandalorum authoribus rationes ali-

Pf. 7. 10.

quando



quando gravissimas facti istius sui reddendas esse, persuasissimum sibi habeant. Salvator noster *Christus Jesus*, tanta suos vehementia à Scandalis dehortatur, ut VÆ illud verè horrendum & terribile mundo, scandalis referto, interminetur.

Matt. 8  
# 7.

Quinimmò, *quisquis puerulum saltem, fide salvifica praditum, scandalizaverit, illi prestare dicit, ut mola asinaria de collo ejus suspendatur, inq̄ profundum maris demergatur.* Non sunt profectò hæc fulgura è pelvi, aut inania terriculamenta: sed illius Domini verba sunt, qui vitæ & necis in quoscunq̄; potentissimos etjam, jus habet; qui non corporis tantum, sed animæ unà Dominus est; *qui corpus & animam in gehennam precipitare, & æterno eoq̄; irrevocabili exitio adjudicare potest; qui deniq̄; juxta præclarum Augustini effatum, non solum in præstando benignissimus, sed etjam in vindicando est justissimus.*

Matt. 18  
# 6.

Matt. 10  
# 28.

lib. 2. de  
lib. arbitrio c. 1.

Non exaggerabimus hoc loco justum verorum Ecclesiæ ministrorum dolorem, in quem irreligiosis hujusmodi novationibus eos conjici, perspectum habemus, quem etsi mundus ridet, & querulas ministerij voces ac gemitus ex alto despicit: à Deo tamen maximi illos fieri exinde sumus certissimi, quod cum præsentissimo au-

Heb. 13  
# 16.



ditorum periculo suspiria doctorum Ecclesiae  
conjuncta esse, Spiritus sanctus testatur.

Præterea, cum ad varias Exorcismi utilitates,  
sub initium hujus nostræ dissertationis, obiter &  
in transitu saltem commemoratas, animus Chri-  
stianus respicit, & præclarum illum fœditatis con-  
tagij originalis, efficaciæ Baptismi, operum item  
ministerij Ecclesiastici præconem malâ adeò gra-  
tiâ dimitti considerat, quid aliud propemodum  
sperare, aut expectare potest, quàm ut obstacu-  
lis erroneæ doctrinæ, in dictis religionis Chri-  
stianæ capitibus sensim remotis, & viâ ad ma-  
jora pedetentim tentanda stratâ, maledictus  
Calvinismus, aliaque hæresium monstra, è *pyxi-*  
*de quasi Pandora* emissa, in Ecclesiam intro-  
ducantur, fideiq; sinceritas miserè deformetur,  
quem quidem suspectarum istiusmodi novatio-  
num fructum in pluribus Ecclesijs annis supe-  
rioribus fuisse, ij norunt, qui, quid in Ecclesia  
actum sit, cognitum habent. Dumq; de hisce,  
alijsq; doctrinæ Christianæ momentis mentem  
suam Novatores, clarè, perspicuè & sufficienter  
non exponunt: se non Exorcismum tantum ab-  
dicasse, sed per latus illius jugulum sanæ in Ec-  
clesia doctrinæ petere, & usum ritus istius mul-  
tiplicem,



tiplicem, in gratiam *επιπέδοξω*, sublatum maxime voluisse, non abs re pij & cordati Christiani præsumunt.

Deniq; , quid ritus istius deformatione aliud agunt, quàm ut majorum suorum & suum ipsorum baptismum, hæc ceremoniâ adhibitâ administratum, convitijs proscindant, & in patrios patriæ Ecclesiæ cineres mingendo, adversarijs nostris, *Jesuitis* pariter ac *Calvinianis*, gratum, in quo se utrinq; oblectent, spectaculum præbeant. Hi reformationis hujusmodi præposteræ fructus sunt! Hæc turbarum istarum, in Ecclesia motarum condimenta sunt! è quibus, tanquam ex ungue leonem, quorsum insperatum illud novitatis studium spectet, quidve molitionibus istis Satanus occultet, quot Christi Spiritum habent, & Ecclesiæ norunt vicissitudines, facile agnoscunt!

Filium orationis hîc abrumpo, & te *Christum Jesum*, *Ecclesiæ in his terris protectorem*, optimum maximum votis ardentibus invoco, ut à pestiferâ dogmatis Calvinistici lue cætus nostros clementer conservare, turbas novationum paternè avertere, sancta desideria, recta consilia & iusta opera, cordibus illorum, qui choro, foro &



toro praesunt, inspirare ac promovere, Principum  
nostrorum, omniumq; piorum Magistratum co-  
natibus, in quantum Ecclesia & Reipublica pro-  
ficui sunt, ex alto clementer benedicere, tandemq;  
nos omnes & singulos è valle hac lachrymarum, in  
eternas illas, morte & sanguine tuo acqui-  
sitae mansiones, translocare benignis-  
simè velis.

### Errata.

Lit. A. 3. col. 2. lin 19. geßisse. B. 2. c. 1. l. ult. *μυελοτεχνητα*  
B. 3. c. 1. l. 11. preciosissimo. D. 1. c. 1. l. 9. perecontanti. l. 11.  
sori l. 17. questum. D. 2. c. 1. l. 11. sciscitati. E. 4. c. 2. l. 8  
Episcopo. Reliqua, si qua irrepsierint, equis le-  
tor vel non admonitus corriget.





1101  
21  
72  
21



